



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. In quibus casibus Ecclesia exsecretur, ita ut novâ consecratione indigeat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

fundat; aut consecrat Ecclesiam religiosorum mendicantium, aut si ædificetur Ecclesia in monasteriis religiosorum redditus annuos habentium.

§. II.

In quibus casibus Ecclesia exsecratur, ita ut novâ consecratione indigeat.

Tres communiter casus recensentur à Gloss. in c. proposuisti 4. h. t. verbo reconciliari. primus est, si nesciatur vel dubitetur, an Ecclesia aliqua fuerit consecrata, ita ut nihil appareat, aut præsumi possit, de ejus consecratione, vel ex instrumento dotationis, vel ex alia scriptura, aut tabula parieti inserta, vel ex crucibus depictis, vel ex uno saltem teste, qui vidisse se testetur, vel ut concedunt aliqui ob favorem Ecclesie, qui testetur audivisse se, quod Ecclesia illa fuerit consecrata. *Can. Ecclesia 18. de consec. dist. 1.* quo in casu sub conditione, saltem mente reservatâ, ab Episcopo consecranda est Ecclesia talis.

Secundus Casus est, si Ecclesia propter exsecrationem novâ consecratione indigeat, eò quod scilicet igne exusta fuerit talis Ecclesia, non quidem, quod ligna tantum Ecclesie, aut tectum illius destructum sit, sed quod parietes interiores fuerint combusti, devastati, & abradi, vel ex toto, vel ex majore parte, in his enim fieri solet consecratio, per inunctionem sacri Chrismatis.

Tertius denique casus est, si totum Ecclesie ædificium, sive casu fortuito corruat, sive consilio destruaatur, non quidem successivè tantum, ita ut paulatim

Compend. Pirhing.

per partes semper minores Ecclesia repararetur, sed si simul, vel ex toto, vel ex majore parte destruaatur; in illo enim casu pars minor addita majori consecratur, per hanc majorem consecrata censetur, cum dignius, & quod majus est, trahat ad se, quod minus est, & minus dignum est.

§. III.

Quot & quibus modis polluatur, sive violetur Ecclesia, ita ut in ea divina officia celebrare non liceat, prius quàm reconcilietur, & quomodo, a quo Ecclesia polluta reconcilianda sit.

Violatur Ecclesia, ut reconciliatione indigeat, pluribus modis, prout habetur in c. proposuisti 4. h. t. & primò quidem per homicidium voluntarium, injuriosum, vel saltem contra reverentiam loco sacro debitam, commissum, per mortem scilicet ex sententia v. g. judicis in Ecclesia illatam, etiamsi fiat sine sanguinis effusione.

Secundò polluitur Ecclesia, per humani sanguinis effusionem voluntariam, & injuriosam, non quidem ex naribus tantum fluentem, ob percussione injuriosam in templo factam, cum ex naribus nimis facile, & in magna etiam copia sanguis elicatur, sed ob alia vulnera in Ecclesia inflata, etiamsi periculum mortis in tali casu non subsit.

Tertio polluitur Ecclesia per adulterium, aut aliam quamcunque illicitam copulam, aut feminis copiosam effusionem, ac publicè notam e. significasti. de adulteris, ita ut in prioribus etiam casibus,

Kkkk

libus,